

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**Post Eucharisticum Marianopolitanum conventum.** — Allocutio habita ab Emo. ac Rmo. D. VINCENTIO Card. VANNUTELLI, Summi Pontificis Legato, ad Sacri Ordinis Viros qui eidem conventui adfuerunt.  
**De S. Gregorii Nazianzeni epigrammatis ad Matrem.**  
**In festo Omnitum Sanctorum.**  
**De re litteraria apud Subalpinos.** — De re dramatica (Carolus Marenco - Leopoldus Marenco - Iosephus Giacosa - Aloisius Petracqua - Victorius Bersezio) — De epigrammate (Antonius Baratta - Angelus Brofferio).  
**In mortem Ioannis Setti immaturo funere extincti.**  
**S. Petri primatus et praerogativa ex archaeologiae testimoniali.**  
**Colloquia latina.** Dimissio improvisa.

**Acta Pontificia:** Motu proprio quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum.  
**Diarium Vaticanum.**  
**Annales.** — In Iusitaniam reipublicae forma invecta.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis.  
**Per orbem.**  
**Librorum recensio.** (L. F. Guerra — A. Capecelatro — G. Bonomelli).  
**Libri recens dono accepti.**  
**loci.**  
**Aenigmata.**  
**Appendix: Aruae Gorgoniae.**  
**Socii atque Lectoribus monitum.**

## POST EUCHARISTICUM MARIANOPOLITANUM CONVENTUM

Eucharisticum Marianopolitatum Conventum, cuius sollemnia, tam magnifice non prius acta, diaria omnia per orbem universum celebrarunt, in superiore nostri Commentarii numero inter eventus Septembbris mensis proxime elapsi singulari memoria dignos adnumerarimus. Qnum autem ab Eminentissimo Viro Vincentio Card. Vannutelli, qui Pontificii Legati munere eidem praefuit, Romam redeunte, instituissemus, ut orationem aliquam illic ab eo latine habitam concederet nobis vulgandam, Purpuratusque ipse Pater, qua benignitate Vocem Urbis hanc nostram iamdiu prosequitur, suam ultro obtulisset allocutionem ad Sacri Ordinis Viros qui coetui adfuerunt, hac nos nostras paginas condecoramus, dum ob novum datum honorem decori illi Pontificii Senatus publicas gratias referimus.

AD SACRI ORDINIS VIROS  
QUI MARIANOPOLITANO CONVENTUI ADFUERUNT.

Voluptatem quam cepimus ex Marianopolitano Conventu cumulavit conspectus vester multo frequentissimus, compulitque ut vos in unum collectos in hac Vobis adsignata sede conveniremus.

Delectat enim nobilis haec pietatis aemulatio, quam vultu ipso perspicere videmur emicantem; recreat singularis hic in Apostolicam Sedem amor, qui dux Vobis profecto fuit ad Nos tam humaniter excipiendo. Nec vestra officia minus accidunt grata, quod, non privatim Nos, sed personam quam gerimus contemplati animo estis. Quid enim Nobis potest esse iucundius, quam prona in Pontificis obsequium voluntas, propter id maxime quod in honorem cedit Servatoris Nostri Dei? Quid optabilius quam posse ad Christi Vicarium referre, qua in Ipsum caritate flagretis, quantum studii attuleritis in Eucharisticum Coetum, quos inde fructus perceperitis, quantum spei et exspectationis vestra alacritas addat?

Si explorata Nobis pietas vestra non esset, fusius fortasse ostenderemus, nulla re magis posse Sacerdotes Christianam gentium humanitatem per Eucharisticum cultum tueri, quam animo insculptam habentes ministerii sui magnitudinem ac sanctitatem. Nihilominus, quia «necessere est de mundana pulvere etiam religiosa corda sordescere» (1), liceat, hac oblata occasione, in memoriam redigere numerum omnium, quorum participes adiutoresque sumus, augustissimum illud esse, quo Corporis et Sanguinis Christi mysteria conficimus ac distribuimus. Itaque, ut verbis utar Gregorii Magni: «Pensemus

(1) S. LEO PAPA Serm. IV de Quadrag.

negotium nostrum: pensemus pondus quod suscepimus » (1). Agitur de mundi vita, pro qua data est Christi caro, nostris tractanda manibus; agitur de mysterio quod est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur; agitur de vera et mirabili, quamquam incruenta, oblati semel a Christo sacrificii instauratione, cuius Ipse infinitam virtutem, sive ad expiandum, sive ad impetrandum, permanere voluit in Eucharistia. Quanta igitur fide ac reverentia nos ad Eum oportet accedere, cuius personam sacra litantes induimus, ut saluti nostrae prospiciamus; quam caute graviterque obeunda illa munia sanctissima, ne forte adstantium pietati offendiculo potius quam adiumento simus!

Si vita Iesu manifestetur in nobis, hausta ex illo igne, quem Ipse venit mittere in terram, hoc est ex Eucharistia, qua, ut habet Ioannes Chrysostomus, « os igni spirituali repletur », tunc tantum suppetent vires ad Augusti Sacramenti cultum provehendum ea ratione quam Summus Ecclesiae Gubernator Pius tantopere commendavit.

Est autem ea ratio duplex et utraque cum actione Sacerdotali coniuncta maxime; altera in praedicatione Eucharistica, altera in frequenti caelestis convivii participatione posita.

Vos profecto non latet, Venerandi Sacerdotes, proelium illud magnum ab initio factum in caelis ex rebellium Angelorum invidia in hominem, cuius naturam esset assumpturus Verbum, iamdudum fuisse redintegratum, nec desitum, dum Ipsum in terris manebit sub mystico pane delitescens. In hoc signum tartareae phalanges *intenderunt arcum... ut sagittent in occultis immaculatum*. Inde vetus illa polytheismi labes, hoc est Satanae regnum; eiusque debellatori Christo parata Crux, inde et effusus in cruorem ethnicus furor et scissus, errorum monstris, Ecclesiae sinus, et publicarum rerum teterri Mae conversiones; inde et inexplebile odium adversus Christi nomen, et in tenebris conventiculis conflata in Ipsam Hostiam sanctissimam infanda sacrilegia. Ecquis nostrum, media in hac potestate tenebrarum, non lucem aliquam afferat, memor verbi Domini: *Vos estis lux mundi?* --- Igitur et scribendo, et agendo, et concionando maxime, sit vobis propositum exploratas facere populo machinationes impiorum, eius fidem ac pietatem excitare ad Servatoris Dei gloriam per Eucharisticum cultum vindicandam ac proferendam, eidemque suadere res maximas quum religionis, tum humanitatis ab eo vitae centro pendere, ideoque de civili consociatione actum esse, nisi in animo hominum imperet Christus.

Regnabit autem in nobis Christus si eorum qui, ad Ipsum sumendum, et cum recto voluntatis proposito, augeatur numerus et ad divinum convivium frequentia. Quamobrem, ut quisque est inops consilii, viribus infirmus, periculis obnoxius, pronus in vitia, adhortandus est maxime ut ad Eum confugiat, qui luminis, fortitudinis, constantiae, sanctitatis fons patet perennis in Tabernaculo sancto. Ne sit unquam auditum inter vos, uberrimas hasce salutis venas incuria vestra interceptas esse fidelibus, ne ipsis quidem puerulis discretionis aetatem attingentibus, qui in mediis huius temporis insidiis mystico illo auxilio ad innocentiae tutelam maxime indigent. Pateat caritas vestra lacrimis poenitentium, eorumque sanandis vulneribus manus ne desit, ne forte convenire vobis videatur Hieremiae reprehensio, intuentis non obductas cicatrices Filiae Sion: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* Ad-hoc denique sit alacritas vestra conversa, ut sive in tenera, sive in matura hominum aetate frequens Eucharistiae usus late reviviscat, et novum velut agmen instruatur, eo fortius ad praedicanda proelia Domini, quo cum Illo coniunctius.

Haec vix attigisse sat esto, ne forte longior oratio « scientibus sit onerosa ». Iamque vale vobis dicturo, detis hanc veniam, Venerandi Sacerdotes, ut coram significem, quid ex flagranti studio vestro exspectet Ecclesia. Vos honorem Sacerdotii digne sustinentes, ab eo accepti qui dixit: *Caro mea est pro mundi vita*, exemplo, conversatione, actione vestra efficietis, ut vita Iesu manifestetur in omnibus, et comprobentur ipsius Domini verba: *Qui manducat me, ipse vivet propter me*. Erit opera vestra testimonium omnium luculentissimum perceptorum ex Marianopolitano Conventu fructuum et auspicio certum futurorum. Vos ardorem circumferentes invicti pueri Tharcisii et Paschalis Baylon, Eucharisticarum congressionum patroni caelestis, everso Satanae regno, renovabitis faciem terrae. Vos, alentes et acuentes populi studia in admirabile amoris pignus, hanc laudem promerebitis ut Apostoli Eucharistiae iure vocemini. Per vos felices istae Americae regiones, in tantam Ecclesiae spem florescentes, ceteris gentibus documento erunt, hospite Deo sospitem esse rem publicam; quam admirati cives et advenae clamabunt: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob et tentoria tua Israel!* Faxit haec Deus, coepisque vestris adsit; vos in sancto proposito confirmet; alacriores reddat in dies, et benedictione sua, quam adpreciamur amplissimam, prosequatur!

VINCENTIUS Card. VANNUTELLI.

(1) *Hom. xvii i i Evang.*

## DE S. GREGORII NAZIANZENI EPIGRAMMATICIS AD MATREM

Quum proximis aestivis fériis in manus meas incidisset illud Muratorii opus, sane dignum cedro ac mira industria confectum, quod inscribitur *Anecdota graeca*, et per otium evolvere statuisse, ut inde eidam meo inexplicabili maerori levationem haurirem, Gregorii theologi epigrammata ante omnia me totum in se converterunt; adeoque illis perlegendis adlectus sum et quasi captus, ut italice transferre non dubitaverim. Neque vero Gregorii nomen me penitus latebat: eius enim legeram, non sine quadam animi commotione, orationes illas duas in funera Caesarii fratris et Basilii, Caesareae episcopi, habitas, quae valde inter Nazianzeni scripta eminent: hinc iam conieceram quibus omnino virtutibus auctor affueret, quo sanctitatis vestimento induetur, quaenam eius esset pietas, quibus denique consiliis motus in animis hominum excitare posset.

Sciebam quoque eum, in Cappadocibus genitum, in illa idest regione, quae sub finem saeculi IV p. Chr. n. ad mores cultumque Graecorum lente, sed penitus inclinabat, in haeresim hue illuc multiplici lapsu et erratico, ut vitis, serpentem, magnopere invectum esse, et una cum Basilio Magno ac Gregorio Nysseno omnibus nervis ac viribus contendisse ut Ethnicismi tenebras et Hypsistiorum errores disperderet, errantesque ad germanam Christi fidem revocaret. Neque autem me quidquam eius carminum fallebat, praesertim ea in quibus de se plurimam notitiam affert, quae propter hoc ipsum pretiosiora sunt, quod multa nos auctor de sua vita edoceat: hinc facile potest colligi, ne longius progrediar, quanta aviditate carmina evolverim, quae aut laudibus prosequuntur praeclaros homines Nazianzeno et sanguine et pietate et amore coniunctos, aut zelum et legitimam iracundiam in sepulerorum effractores Agapetosque effundunt.

Placet igitur nonnulla huius Commentarii lectoribus offerre, ea scilicet quae ad matrem pertinent: perdulce enim est, si fluitamus in alto tempestatibus et undique fluctibus aestuosis premimur, matris in gremium confugere, ac molliter in eo recumbentes, humanarum calamitatum oblivisci, maerorem deponere, in spem induci, vera dolorum solacia invenire. Mihiq; autem, cui sors invida supremum hoc beneficium ante diem abstulit, liceat haec qualiacumque mea scripta, matri meae dedicare.

\* \* \*

Epigrammata in quibus Gregorius matrem Nonnam, aetatis plenam, luget summisque laudibus extollit, trigesima quinque sunt: his nomini parentis magnificum quoddam sertum intexitur, hac veluti marginata forma illius effigies decoratur. Tanta est enim dicendi simplicitas, omnibus lenociniis expers, tantus enim calor permeat verba, ut illa dicas non ingenio deprompta, sed corde: videlicet in labia Gregorii sensus motusque ani-

mi sponte afflunt, et verbum, quasi animi speculum, candidos sincerosque exprimit affectus, nulla molestia, nullo rerum tumore, nullo eloquendi circuitu.

Quae fuerit Nonna in vita sua, quo candore distincta, quanta remissione perfusa, quibus moribus ornata, quanta humanitate perpolita, hinc luce clarius appet: quo amore filios prosecuta sit eosque sanis praeceptis imbuerit, quot assiduis vigiliis, corpori ac saluti non parcens, sese consecrarit, luculenter ea carmina testantur. Constat enim Nonnam, Gregorii senioris Nazianzeni Episcopi uxorem, Theologi matrem (ecquis ignorat Gregorium iuniorem *theologi* honorifico cognomine appellatum esse ob suas de theologia orationes?) feminam tot virtutibus praeditam fuisse, quot in eius sanctissimis liberis atque in eius marito Graecia universa miretur. Ea enim et coniugem ab idolorum cultu ad Christianam fidem deduxit, et filios optimis formatos moribus exemplo suo sanctitatem pietatemque sequi non tam docuit, quam coegit. Officio suo igitur Gregorius satis facit, quum poëtice solvat matri quod debet: observantiam, pietatem in eam gratamque beneficiorum memoriam.

Hos vero sensus, haec, ut ita dicam, animi grati testimonia ac pignora, in orationibus et poëmatis quibusdam non desinit ille significare; nam occasione arrepta, de matre sua large diffuseque loquitur vel numeris concinit, tali modo magnificentum monumentum, marmoreo firmius, memoriae eius collocans. At quoniam de iis praecipue carminibus disputandum est quae in *Anecdota graeca*, a clarissimo viro Muratorio collata, referuntur, et in quibus matris functae fit proprius mentio, videamus quo modo illius laudes enarrantur:

«Idcirco te his quoque carminibus, mater, honoro ravi»: sic scribit Gregorius in epig. LXXXVII.

\* \* \*

Nonnae laetitiae et dolorum testis erat templum; nunquam per ora eius profanus sermo venit, neque risus mollibus insedit genis (LXXXIII). Adeo in viduas puerosque parentibus orbatos omnes curas et cogitationes contulit, ut virgines et nuptiae, ea mortua, sibi comes in luctu totonderint (LXXXIII). Pervigiles noctes transgit implevitque templi solum fletibus, Deumque assidue precasta est, ut sibi petenti satisfaceret (xcI). Non aram humanis hostiis funestavit, non puerorum extis mactavit deum, non umbratilem vitulorum victimam, neque hircorum obtulit illi, ut ethnicorum mos erat; sed se ipsam dedit «per omnem vitam et mortem» (xcII). Orans exclamansque apud sacram mensam, dissoluta est (xcIV); templumque, ubi tunc precabatur, senectutem laborum patientissimam solvit (xcIII). Lingua eius fuit «hymnis dedita»; idcirco Deus voluit linguam post sanctos sermones obsignare (xcIV). Beata, utpote inter precandum mortua: ea enim omnia in lacus caelestes intulit, sive in Ecclesiam, quae allegorice in sacris litteris «lacus» vocatur, auctore Suida (xcVIII). Puro corde exornata, omni sacrificio puriore vitam degit

(xcix). Animam efflavit, perinde ac diu voluerit in templo manere, et mortua pietati vacare (civ). Ingens sane prodigium mors eius! Parcite, Martyres: non vobis inferior dilecta Nonna, propter occulta et patentia bella; idecirco talem etiam vivendi finem sortita est, unum precis et vitae exitum inveniens (cv). Fidei addictissima, religioneque vineta et adstricta, non cessit morbo, non senectuti, quae alter quidem morbus est, non maerori; sed «incolumis et erecta» sanctae sub pedibus mensae orans Christo vocem reddidit (cix). Nunquam incestis sua casta labra, neque impiae manui puram manum miscuit; merces autem fuit illi inter sacra vitam linquere (cxii). Angelus fulgens lucidissimusque rapuit: ubinam exspiravit? in templo. Quomodo? orans. Quando? iam aetate gravis. O pulcram vitam et piam mortem! (cv). In templo somnum altum obdormivit, libens virum suum Gregorium secuta (cxvi). Lugeant alii, mortalium genus; se autem filius affirmat non deflere velle, quum mater orans obierit. Caelestibus choris recepta, nunc autem inter pios stans precatur: hinc omnes eam divinam patronamque magnam sursum sublatam prosequantur gaudeantque pii.

Sed de his hactenus. Retuli, ut facile est visu, latinis verbis, saepe autem iisdem Muratorii usus, qui eleganter ac prope ad verbum Gregorium lyricum expressit, quid mihi ad clarissimae Nonnae laudes illustrandas magis conferre visum fuerit. Nihil vero ad rem, Nazianzeni hic dicendi genus trutina perpendere: in animo mihi est quam primum fusiore disputatione id amplecti, quid scilicet a prioribus optimis poëtis Gregorius mutuatus sit ac suo stilo, qui varietate linguae, haud raro ab obsoleta vetustate sumptae, insignis est, commiscuerit. Quin immo observare iuvat, argumentum potissimum, de quo poëta noster delectetur, et in quo supra modum retardet, mortem esse matris in templo impetratam et obtentam: dixeris id ante oculos habere eum et nostris quoque proponere velle.

(*Ad proximum numerum*).

M. GALDI.

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

### PRECATIO

*Litus, o Sancti, placitum tenetis  
Sol ubi blandus sine fine fulget;  
Vasta iam vitae vada permeastis  
Plena procellis.*

*Nos adhuc, eheu! agitamus undis:  
Insident caeci scopuli sub alto;  
Imminent imbris mare dum molestum  
Findimus aegre.*

*Gurgitis, Fratres, facite ut furentis  
Mulceat fluctus modo lenis aura,  
Tuta quae navem vehat ad quieti  
Ostia portus!*

*Prairie du Chien,  
Wisconsin, U. S. A.*

OWEN L. LEWIS.

## DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS <sup>(1)</sup>

### De re dramatica.

Post Victorium Alferium, qui italicae Melpomenes vindex, veterum tragicorum gloriam est consecutus, Deo nos adiuvante, fama celeber est

**Carolus Marenco.** — Hic Cevae in Subalpinis natus, plurimis a iuventute litteris imbutus acer- rimoque ingenio natura donatus, etiamtum adolescens ad tragedias conscribendas animum impulit. Quum autem litteras impense excoleret, ac medium se vellet inter Alferium et Pellicum gerere, historiae patriae argumenta in tragediis compendis perpetuo derivavit, atque ad recentiorum hominum mores corrigendos invexit.

Ad divinum Dantis Aligherii carmen oculos potissimum intulit, atque inde rem tam mirifice spectatoribus exposuit, ut in omnium utilitatem facile redundaret; quod quidem ita patribus nostris placuit, ut frequentissimi adirent, poetamque perpetuis exciperent laudibus. Ubere sane copia laudantur eius tragediae et mira affectuum suavitate, patriam eamdemque christianam caritatem redolentium, etiamsi ad Alferii dignitatem ac gravitatem minime adsurgant. Stilo usus est tamen eleganti, florido, saepe quoque sententiarum altitudine spectando. Prae ceteris vero magnis fuerunt honoribus habitae, quibus est nomen: *Pia de' Tolomei; Piccarda Donati; Il Conte Ugolino*. In his robustioris sermonis castitatem et poeticum potissimum leporem maxime laudandum passim critici notant atque admirantur.

**Leopoldus Marenco.** — Hic, Caroli filius, ad co- moediam potissimum se contulit. Licet suis civibus patris celebritate cognitus ac veluti manu productus, quasi munus paternum indigne sustinens, novum sibi iter ad gloriam parare voluit opere suo atque labore, Comoediarum argumenta vario e fonte derivavit, atque ad eas potissimum respexit, quae ad diversorum hominum characterem graphice depromendum conferunt. Neminem imitatus, suus semper atque in omnibus appetet. Singulari enim excoxitandi vi donatus natura fuit atque acumine. In fabularum oeconomia, atque in nodi solutione nunquam claudicat; et spectatores dialogi lepore, et subitariis quibusdam casibus afficit, quos conjectura nondum prospexerat. Praeterea hominum ingenia et mores depingit, omniaque venustissimis iocis adsperrgit. Principem sibi locum inter scenicos poetas aetatis suae obtinuit, et dignus post patrem habitus est nominari.

**Iosephus Giacosa.** — Sed omnes quos hactenus nominavi, quosque nos vidimus laudibusque cumulavimus, longe est supergressus Iosephus Gia-

(1) Cfr. an XIII, n. IX.

cosa, Perellae in Salassis honesto loco natus. Si Leopoldus Marenco Plautum potius refert, hic Terentium; et vi comica atque arte potissimum laudatur. Ipse, cogente patre, Augustae Taurinorum, iurisprudentiae operam dedit: at natura impulsus, comoedias identidem scriptitare consuevit. Nobilitate verborum, rerum celeritate ac pulcritudine conspicuus, carminis illius modum eleganter adeptus est, quem olim apud nos Ioseph Martelli pulerius in comoediis suis exarandis invexit. Vel elegantia, vel suavitate, omnes aetatis suae comedios poetas longe sibi retro reliquit. Simplex est in comoediis componendis, res facile ad exitum recto procedit, sed eleganti verborum inventione ac structura, stilo nobili maxime honoratur.

Quo nomine, cum politissimo quoque est in primis componendus, quia in conscribendis hominum studiis plane singularis est naturam imitatus. In fabulis eius maxima urbanitas praesertim spectatur, mira orationis venustas et mundities, dialogus artificio quodam et varietate distinctus, acerbum iudicium, planissima communis naturae cognitio.

Ad antiquitatem potius respexit, et hominum mores depingere consuevit illius aetatis, quam medium recentiores appellant; atque adeo graphicæ res atque homines refert, ut nihil melius, nihil aptius spectatores exoptent.

Florenti adhuc aetate, adclamantibus omnibus, diem obiit supremum, summa honorum ac gloriae laurea decoratus.

**Aloisius Petracqua.** — Haud parvam sibi famam sua aetate peperit Aloisius Petracqua, Taurinensis. Hic ad tunicatum popellum unice respiciens, cuius mores ad humanitatem effingendos summo studio adnitebatur, italico sermone relicto, ad vernaculam dictionem usurpandam se contulit, nihilque alia ratione composuit. Tunc primum, ut olim apud Venetos, admittente Carolo Goldoni, theatrum verus visus est atque germanus sapientiae fons, in populum manans, qui omnia quae auctori placent, sapienter imbui posset atque illuc rapi quo vellet poeta. Hic, dum Subalpini, ductu consilioque principis, imperium Italiae affectabant, atque ad illud obtinendum totis nervis artibusque tendebant, suis comoediis, quae unice res novas redolerent, novi temporis speculatoribus mirum in modum favebat. Nunquam, mea quidem sententia, scriptor melius auditoribus suis adhaerere visus est, nec unquam ferventius auditores calcaria auctori addere certaverunt. Nec ei quoque suus actor defuit, qui verbo, personae habitu gestuque rem expressius spectatoribus proponere posset, gratioremque reddere. Haec mea verba ad Ioannem Toselli potissimum spectant, qui summis semper laudibus atque undique exceptus, ad summam in

comoediis agendis perfectionem pervenit. Si vero auctorem Plautum dixeris, Roscium merito actorem appellaveris: tam graphicæ, tam vivide personam reddere consuevit!

Eo defuncto, seu potius a scenis remoto, in comoedia vernacula conscribenda, apud nos fastigium attigit **Victorius Bersezio** per comoediam cui est titulus: *Le miserie d' monsù Travet*, quod idem est ac si latine dixeris: *Traveti infornia*.

Haec comoedia, non modo apud nos actitata placuit, sed in omnibus fere Europæ theatris, et in varios populorum sermones traducta, auditorum animos hilaravit atque mulxit.

#### De epigrammate.

Non minus quam fabulae Aesopeae satyram redolent epigrammata, in quibus maxime enituit **Antonius Baratta**, qui, sub ipso regis Caroli Alberti dominatu, ingenium acerrimum in epigrammatibus conscribendis exercuit. Urbanitate animi omnium bonorum studia sibi facile conciliavit. Vel apud regem gratiam init, a quo equestri est dignitate donatus, quae illa tempestate optimo cuique tantummodo conferebatur. In honesta semper paupertate vitam transegit, ac firmo corpore, vegeta mente ad ultimam senectutem pervenit. Casu quoque occubuit in publico valetudinario honificè acceptus, platani forte pondere obrutus, quae, quum in media urbe, aëris captandi causa, moratur, in meliorem ordinem componeretur.

Huius carmina hominem produnt ingeniosum, acutum, quique plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec candoris minus.

Complures hac nostra aetate epigrammata panzerunt, quorum pleraque in desuetudinem abierint.

Ad satyricos poetas accedit **Angelus Brofferio**, qui vernacula usus poësi, improborum vitia, suos potius adversarios aliquando ridet atque unumquemque suum admonet officium. Temporum difficultatem aspernatus, quibus damno hominibus esset, quae animo sentiant libero ore proferre, ad hoc scribendi genus se contulit, in quo affectus proprios quibusdam quasi velis obtendant.

Itaque carmina eius acuminata ac veneno quodam aspersa, quibus per ambages vel administrì facinora carperet, vel improbum illius temporis dominatum derisu vellicaret.

Haec mirum in modum tunicati popelli laevitatem sollicitabunt, haec passim in vulgus secreto pervadebant, primum inter paucos atque electissimos effundebantur, mox per compita suspiciose volitabant, et serius tandem, ex necessitate quadam exacta, per omnes civitatis angiportus efferebantur. Dolendum sane quod, nulla usus religione nihil ipse habeat quod timeat, quod speret, quod doleat, quod laetetur; hominibus serviit et scena;

illuc omnino tendebat; ut impotentem factiosorum audaciam carperet, ad rem publicam christianam evellendam totis nervis nitebatur.

Quum venit tandem libertas, et quidquid cuique menti placeret, libero ore proferre licuit, huiusce poeseos causa excessit, eius quoque carmina omniumque qui eius fuerant exemplum secuti, in desuetudinem brevi abierunt.

SUBALPINUS.

## IN MORTEM IOANNIS SETTI immature funere extincti

Ioannes Setti, quem Itali universi immature funetum deflemus, utpote qui nondum quinquagesimum quartum annum aetatis suae implevisset, in Universitate Taurinensi magna cum laude graecas litteras docebat.

Apud Mutinam natus, humili quidem loco, mox tenacitate in studiis effulsit, eaeque ingenii facultates fuerunt, ea mentis acies, ut brevi amplissimos dignitatis gradus consecutus sit.

Singulari bonitate et modestia praeditus, non honoribus inserviebat: unum tantum ardebat, in litteras se totum abdere, eruditissimasque disputationes peragere. Quanta enim eius commoditas! quanta doctrinae elegantia! quanta litt rarum varietas!

Dulcis ac nitidi eloquii auctor, nonnulla volumina sua industriae ac navitatis documenta, reliquit, quae temporis iniuriae non cedent, quaeque iam vel fastidiosi existimantes non potuerunt quin summis laudibus efferrent. Quid memorem, prae ceteris, suam illam Herodae mimorum conversionem, librum cui nomen: «*La Grecia letteraria nei pensieri del Leopardi*», Hesiodi imaginem elegantissima oratione descriptam novissimamque illam dissertationem doctissimam, in «*Rivista di Filologia classica*» editam, de Luciani Τεραγωδοποδάγρα?

Gravissimam iacturam fecimus tanti viri ammissione, qui Panormitanae, Patavinae, ac demum Taurinensis Universitatis vere decus ac lumen fuit.

Haec qualiscumque elegia, in eius mortem exarata, adeat manes, iisque expiatis renuntiet, memoriam hic perennem et perpetuam fore.

*Occubuit fato doctos clarissimus inter,  
Qui ingenuas artes Helladis excoluit.  
Hyblaeum labiis tenere stillantibus, ipse  
Effinxit miro tempora prisca stilo.  
Illius hinc animum poteris cognoscere dulcem,  
Qui movit citharae mollia plectra suae.  
Nisibus hinc promptam fortemque stupescere mentem  
Quae scandit nulli culmina tacta prius.  
Iure voco vatem, cuius sint scripta poësis:  
Quid mihi si numeri, si careantque modi?  
Iure sophum, qui magna licet non proferat ausa,  
Maturos fructus tempus in omne parit.  
Quam bene tractavit, vario splendore colorum,  
Res italique decus nexuit eloquii!*

*Quam bene festivi pervadit lympha saporis  
Chartas et suadae diffluit inde latex!  
In mediis vero vates fluitantibus undis  
Tradidit heu ventis carbasa nigra scaphae.  
Non cantu sonuere dies, non risibus aurae  
Spirarunt: gelidos texit at umbra dies.  
Ignea nulla unquam sua pectora flamma perussit:  
Deperiit semper scrinia sola vigil.  
Mirum! qui Graias, captus dulcedine formae,  
Delicias cecinit, carpere nescit eas.  
Non gravitas sacri vatis, non mollia dicta,  
Non Veneres lepidae, non valuere sales.  
Advena pertransit tacitus convivia vitae:  
Nil movit rumor, festa, nihilque ioci.  
Nunc cecidit morbo letali fractus et alte  
Spiritus effugiens agmina docta petit.  
Heu dolor! heu pietas! nimium crudelia fata!  
Occumbit praeceps quem iuvel esse diu!  
Luctibus hinc omnes ploremus pectore functum:  
Ille auxit studiis Italiaeque decus.*

Cavae Tyrrhenorum.

MARCUS GALDI.

## S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONII

(Cfr. num. IX)

### III.

Petrus — Moyses.

Quum supra ducentas duodecim Petri numeravimus imagines, plures etiam hoc numero effigies computavimus, quae quidem Moysen rupem percutientem adumbrant; sub cuius specie Petrus, novus veluti Moyses, intelligendus est; id vero nunc probandum.

Notamus in primis, fontem e rupe a Moyse percussa scaturientem haud quidem historicam in primaevis Christianorum monumentis habuisse significationem, sed mysticam ac typicam, iuxta illa Pauli ad Corinthios verba: «Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus (1)». Re enim vera Christianae artis proprium fuit evangelicas veritates antiqui Testamenti argumentis adumbrare; quod quidem ipsius Christi et Apostolorum, neconon Patrum doctrinae concinit. Quin etiam, ipsis Veteris Testimenti prophetiis respondet; inter quas unum, Isaiae scilicet, quoddam vaticinium meminisse iuvabit: «Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum; quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine. Et quae erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontem aquarum» (2). Porro indubium est, adducta verba et de messianico regno loqui futuro, et prodigio-

(1) I ad Corinth. x, 4.

(2) Isai., xxxv, 6-7.

sum fontem commemorare, qui e monte a Moyse percusso manavit.

Ceterum fontem e petra defluentem baptismatis symbolum exstisit fontisque gratiae omnigenae, plus est exploratum quam memorari oporteat. Verumtamen, quia ad monumenta, quae mox producentur apta, illustranda sunt, quaedam Patrum testimonia huc afferenda putamus. Sic Iustinus martyr in suo cum Tripho colloquio: « Fontem aquae vivae - aiebat - a Deo in solitudine cognitionis Dei experte, in terra scilicet gentium seaturire fecit hic Christus »; et Tertullianus: « Haec est aqua - (scilicet saluberrima baptismatis) -, quae de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aquae in Christo baptismata videmus benedici » (1). Et S. Cyprianus: « Quotiescumque aqua sola in Scripturis sanctis nominatur, baptismata praedicatur, ut apud Esiam XLVIII significari videamus. Praenuntiavit illic per prophetam Deus quod apud gentes in locis quae in aquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, et electum genus Dei, id est per generationem baptismi, filios Dei factos, adaquarent. Item denuo praecanitur et ante praedicatur Iudeos, si sitierint et Christum quaeasierint, apud nos esse potaturos, id est baptismi gratiam esse consecuturos: Si sitierint, inquit, per deserta adducet illos, aquam de petra producet illis, findetur petra et fluet aqua et bibet plebs mea (ad Caecil c. 8) ». S. Hieronymus in Psalm. LXXVII: « ... Interrupit petram in eremo, sicut Moyses percussit in terreno petram, et produxit populo aquas; ita et Dominus quem Paulus percussum ait propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes, apostolos scilicet quos petra monstravit; et per quos fluxerunt torrentes ». Et S. Augustinus: « ... Denique percussa est ipsa petra ligno, ut aqua fluere virga enim percussa est. Quare ligno non ferro? nisi quia crux ad Christum accessit ut nobis gratiam propinquaret (Serm. 352 c. 1, n. 3) ». Denique Isidorus Hispalensis: « ... Percussa enim petra, fons emanavit; percussus in cruce Christus, sicutib[us] lavae[ri] gratiam et donum Spiritus Sancti effudit (in libro Prohem.) ».

Hinc est profecto quod haec fontis effigies symbola eucharistiae constanter praecedat, atque in ipsa de petra defluente aqua pisciculus a pescatore captus in monumentis appareat: « Nos, - inquit Tertullianus, - pisciculi, secundum IX<sup>o</sup>YN nostrum, Iesum Christum, in aqua nascimur (2) »; atque Clemens Alexandrinus: « Sint autem nobis signacula columba, vel pisces, vel navis;... et, si sit aliquis qui pescetur, meminerit Apostoli et puerorum, qui ex aqua extrahuntur (3) ».

Iam vero quisnam erit hic a Clemente Alexandrino appellatus apostolus? Dubium dari nequit quin de Petro agatur, non solum quod a Christo illa verba audierit: « Ex hoc homines eris capiens », (4), sed

(1) TERTULL., *De baptismo*, ix.

(2) TERTULL., *De baptismo*, i.

(3) CLEM. ALEX., *Pedag.*, 3, ii; P. G., viii, 634.

(4) LUC. v, 10.

quia antonomastice Petrus pescator evangelicus habetur.

Nihilominus, si ex Pauli doctrina rupes Christus est, fons vero inde scaturiens potus spiritualis, seu gratia, praesertim vero baptismi gratia, quae *gratia simpliciter* a priscis vocabatur Christianis, cuiusnam figura erit Moyses? Si ex ipsa rerum comparandarum natura similitudo erui debeat, nemo, nisi Petrus, Moysis persona adumbrari dicendus est. Quisnam enim novus Moyses dici poterit, id est novus Dei populi dux ac legislator, nisi Petrus?

Sed, ne probatum me habere dicatur quod probandum sumpsi, huius inter Moysis ac Petri personas similitudinem aliunde evincam. Petri concepta idea ac fontis gratiae summaeque potestatis cogitatio ita erant ex vulgi opinione coniunctae, ut, saeculo quinto, in quibusdam Romanis catacumbis *fontium sancti Petri*, — *nympharum sancti Petri* seu loci ubi Petrus baptizave-



**Cuppa fundus auro pictus, qui in Museo Vaticano asservatur.**

rat, — sedis ubi prius sedit sanctus Petrus apostolus, insignes memoriae essent. Patres vero haud aliter hac de re opinati sunt. Sic, exempli gratia, Maximus Taurinensis ait: « Per Christum Petrus factus est petra; nam sicut in deserto, dominico sicuti populo aqua fluxit e petra, ita in universo mundo perfidiae ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferae confessionis emerit. » (1) Et sane, inter ea quae Patres excogitarunt ut omnem potestatem ecclesiarum ab una ecclesia Petri manantem ostenderent, aquae fontisque similitudo saepe reperitur, ut scilicet « a Petri potestate deberent sumere ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procedunt) » (2).

Audiatur Leo Magnus: « Multo est dignius ad beatissimi Petri apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere... qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut, cum

(1) S. MAXIMI Opp., ed. Romae 1784, p. 219.

(2) Cf. Coll. epist. roman e pontif., edit. Constantii, Ep. Bonifacii papae IV, n. xv.

multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit » (1).

Sed explicatius Moysis ac Petri coniunctionem alia testimonia declarant. Ne dicam de Actis apocryphis Pro-



**Figura graphic ducta in quadam patera in Dalmatia reperta.**

cessi et Martiniani, in quibus Petrus revera, quasi Moyses, carceris parietem percutiens describitur ut aquam inde scaturientem ad duos careeris custodes aliosque baptizandos adhibeat; paucis abhinc annis quoddam apocryphum in lucem venit evangelium, quod nonnulli antiquissimum reputarunt atque illud ipsum esse XII apostolorum evangelium, quod iam saeculo secundo cognoscetebatur; verius tamen saeculo tertio ex antiquiori parte videtur tribuendum, licet antiquorem archetypum supponat (2). Porro, in hoc scripto, ubi de Petri dignitate est sermo, haec leguntur: « Quum Petrus magnos hos recepit honores, eius facies illuminata est, ac veluti sol ante apostolos resplenduit, vel sicut Moyses tunc temporis » (3).

Quodecumque sit huius textus momentum, illud indubium apparet, ibi apocryphum de vulgari opinione testari iuxta quam, saeculo saltem secundo, Petrus Moysi assimilabatur, et ista quidem opinio diu perseveravit; nam vel apud Aegyptios saeculi quarti monachos invenitur, quum in vigesima sexta homiliarum quae beato Macario accensentur, ista legantur: « Postea Moysen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est » (4).

Sed ad monumenta veniamus. Primum locum duo cupparum vitrearum fundi obtineant in Romanis coemeteriis inventi, atque nunc in Vaticana bibliotheca asservati. In utroque enim Petri imago efficta est, veluti novus Moyses, virga percutiens rupem, e qua rivus aquae manat. Effigies auro elaboratae sunt, persona vero Petri ideo innotescit, quia nomine suo insignita utroque in exemplari cernitur (5).

(1) S. LEO, *Sermo III* habitus in anniversario suae assumptionis ad pontif., c. II.

(2) Cf. C. SCHMIDT, ap. *Göttingischen Gelsherten Anzeigen*, 1900 (n. 6) pp. 481-506; et BAUMSTARK, ap. *Revue biblique*, 1905, p. 245-265.

(3) REVILLOT, ap. *Revue biblique*, 1904, p. 324.

(4) MACARII AEGYPTI *Homilia XXVI*, 23; P. G., XXXIV, 690.

(5) Cf. P. XYSTUS, *Notiones archaeologiae Christ.* Vol. II, pars 2, p. 160.

Aliud vero pretiosissimum huius generis monumentum quaedam est in Dalmatia patera vitrea inventa, in qua, inter alia biblica argumenta, Petri quoque figura apparet virga arborem percutiens e quo rivus manat. Hic etiam dubium omne inscriptione qua imago munita est solvit; nam retro ac supra Petri capite legitur: *Petrus virga perquodset, fontes ciperunt quorere*; id est: « Petrus virga percussit, fontes cooperunt currere » (1). Inscriptio ista, e *Numerorum vigesimo libro* eruta est, in quo dicitur: *Moyses percutiens virga... egressae sunt aquae largissimae* (2).

Ecce cur tam saepe et ubique, in antiquis artis Christianae anaglyptis, hoc Moysis argumentum appareat ac constanter antiquus legislator Petri imaginem, sub qua Christiani artifices Petri faciem solebant effingere, prae se fert. Raro hoc Moysis argumentum cum Petri imaginibus non est coniunctum: solito enim illud haec sequitur, ac facile est animadvertere Moysen ac Petrum unam eamdemque esse personam.

Patera, de qua supra, aliquid refert, quod difficile explicatu videtur: nempe haud quidem e rupe, sed ex arbore fontem salutarem elicet. Quidnam hoc sibi velit, adhuc inter archaeologos non satis constat; sed unum certe demonstratur, hanc effigiem alias imitari, quae multo illa exstant antiquiores; proindeque sensum imaginis, ut supra explicavimus et in patera inscriptione declaratur, eumdem esse atque apud anaglypta in quibus inscriptiones desunt, sed quae eamdem arboris exhibit figuram (3). Ceterum, quod mystica prorsus eiusmodi sit fontis imago, eo patet, quod in quadam Arelatensi sarcophago, necnon alibi, fons, qui non e rupe, sed e caelo defluere videtur, baptismatis lavacro adhibetur,



**Arelatensis sarcophagus, in quo etiam peculiare, Petri figuræ tres (negant - capti - fontem percutientis) identice ex industria effictas esse.**

(1) Ibidem, Tab. 135.

(2) Num., xx, 11.

(3) Plura sunt in his Petri adumbrationibus, quae melius clarissime Moysis cogitationem excludunt, sed quae minime propterea clara evadunt, ac fortasse ad apocrypha aliqua pertinent scripta, quae ad nos usque non pervenerunt. De his in meo de anaglyptis opere, proxime in lucem prodituro, fuse tractabitur.

ac supra nudum adolescentem eius aqua labatur (1), dum duo alii iuvenes adsunt bibentes.

Totius itaque huius articuli conclusio haec erit: Petrum uti novum Moysen, novum populi Dei ducem, legislatorem et caput apud priscos Christianos habitum fuisse; quod quidem his versibus, quos Constantinus Augustus triumphali arcui basilicae Vaticanae inscribendos curaverat, expressum invenimus:

QVOD DVCE TE MVNDVS SVRREXIT IN ASTRA TRIVMPHANS  
HANC CONSTANTINVS VICTOR TIBI CONDIDIT AVLAM.

(Continuabitur).

XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

(1) GARRUCCI, vol. v, 398, n. 10. — Verumtamen idem anaglyptum ab Edmundo Le Blant relato adolescentis baptizandi nullum exhibet vestigium. Quo nihilominus monumentum minoris haud fit; nam symmetrice, id est illi representationi respondens, Christi exhibet baptismum eodem fere modo.

## COLLOQUIA LATINA

### Dimissio improvisa. (1)

GORGONIUS. — De scholane?

THEODORUS. — De schola.

G. — Proripuistis vos inde, an potestatem abundi obtinuistis?

T. — Neutrū.

F. — Quid igitur exeundi tempus antecapitis? Needum enim secundam audivimus, et exiri solet ad quartum demum.

EUSEBIUS. — Quin taces? Non displicebit tibi simul rem intellexeris. Bonum factum te in nos incidisse; laetitia et lubentia onusti incedimus.

G. — Expedite brevi.

E. — Praeceptor nos dimisit lusum.

G. — Hui, lusum? Dies Iovis praestitutus est ad quem exerceantur ludi, non dies Martis.

T. — Sciscitare ex aliis, si lubet; et si invenieris secus, mentitos dicio.

G. — Ain' tandem ita esse ut dicis?

T. — Quidni aiam?

G. — Curnam dimisit hodie? Quid natum est novi? Quid viro in mentem venit?

E. — Duplex, credo, causa.

G. — Cedo.

E. — Una, quia misit sanguinem e manu dextra, quam videbamus illum gestare in mitella bombycina...

T. — Altera, et fortasse verior, quia hodie dabit natalitia.

G. — Multa loquimini; iam assentior. In memoriam enim regredior alias quoque nos ideo ius-

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

sos redire domum, quia cum amicis diem suum natalem ille acturus erat.

T. — Nobis nec opinantibus haec fortuna obtigit, siquidem ita ingressi eramus gymnasium, tamquam veteri more exituri.

G. — Eu, probe. Nemo igitur hanc gratiam extorsit?

E. — Nemo, quod sciam; sponte sua beneficit nobis.

G. — Omnium quantum est qui vivunt hominum optimus est homo. Verum in isto concessu seu liberalitate sui magis quam nostri rationem duxit; nam haec lux, qua ipse primum lucem hanc aspergit et vitales auras hausit, omnino hilaris ei, et sine ulla perturbatione sumenda est.

E. — Nos lusum vadimus recta.

G. — Siccine est sententia?

E. — Sic.

G. — Celeriter revertar, et adiungam me vobis tertium.

T. — Vola curriculo; hunc diem suavem et amoenum agitabimus.

## ACTA PONTIFICIA

### MOTU PROPRIO

quo quaedam statuuntur leges  
ad modernismi periculum propulsandum.

(Cfr. num. sup.)

### IVRISIVRANDI FORMVLA.

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserita ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilitia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianaee Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistrum, per ipsum verum atque historicum Christum, quem apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolice hierarchiae principem eiusque in aevo successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transiuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefi-

nito progressu perficiendae. Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

« Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum *terioribus christianaे religionis originibus* componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditorem induere personam duplcam, aliam credentis, aliam historici, quasi licet historico eā retinere quae creditis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diuidicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis post habitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam præterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus sribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistæ* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusmodi inchoatam per subsequentes aetas continuant. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* (1); non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur* absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata (2).

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc. ».

#### DE SACRA PRAEDICATIONE.

Quandoquidem præterea diurna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audentium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibit magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum

(1) IREN., 4, c. 26.

(2) Praeser. c. 28.

et regularium editum die XXXI mensis Iulii anno MDCCXCIV et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1.<sup>o</sup> « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenti quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Modera-tores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundant. Istae enim si in catholicae doctrinae praecibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens* (1): neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vita eorumdem ratione: ne sermone celebratis praecepsis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid præterea profani pietas eiusmodi redoleat; verum ea sit prædicta gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (2). Secus enim, ut scite animadvertis Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei* (3). — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diurna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et insci divina eloquia contemptui obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (4) ».

2.<sup>o</sup> « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistes divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Idem sedulo advigilent ut ea tantum per tractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium...* (5) *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (6). Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatorum debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare* (7). Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis virtutia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (8). Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scipsit: *Non semetipso, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praeepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicitent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflammant, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, virtus omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (9). Ex quibus omnibus per-

(1) I Cor. XIII, 1.

(2) I Cor. IV, 1.

(3) Comm. in Matth. V.

(4) Os. IV, 6.

(5) Marc. XVI, 15.

(6) Matth. XXVIII, 20.

(7) Loc. cit.

(8) Sess. V, cap. 2, *De Reform.*

(9) Litt. Enc. IX Nov. MDCCXLVI.

spicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacraenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3.<sup>o</sup> « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimurum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi* (1), eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod *CONFERENTIAM* dicunt, menti cogitationique allicienda magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligenter perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praecipitatis de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De corde excent cogitationes malae.... blasphemiae* (2). Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (3), commentatur: *in corde suo, non in mente sua* ».

4.<sup>o</sup> « Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetratur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat proprius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae*, quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non deceat nisi ubi tempus aut locus aut audentium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem diminuat ab usu removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris facienda pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quavis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem

(1) *Philip.* II, 21.

(2) *Matth.* XV, 19.

(3) *Psalm.* XIII, 1.

summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudine fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur ».

5.<sup>o</sup> « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurront si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam* (1). At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christiana pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praecocibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (3). Idem contra freti *persuasilibus* humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores ubioresque recludent latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: - « Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflato Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa* (4). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecpta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Virus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipi: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (5). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (6), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assidue Biblorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt (7) ».

« En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt aquae vivae, sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum no-

(1) Loc. cit.

(2) *Thren.* IV, 4.

(3) *I. Cor.* II, 4.

(4) *I. Thess.* I, 5.

(5) *Hebr.* IV, 12.

(6) *De Doctr. christ.* IV, 6, 7.

(7) Litt. encycl. de Studiis Script. Sacr., XVIII Nov. MDCCLXXXIII.

minibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolum entis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praecclare persequeuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguum fructus, qua audita profanus homo persuasionem secum fert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum (1) ». — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque tempa referata videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur, contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint* (2). Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurimum etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguum, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius inventam*, postquam dicendi peritum effuso prosequuntur sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur* (3).

« Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus prohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familii constitutis ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio extirpando current. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt (4) - *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*, - in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suaे dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* (5) hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium

(1) Card. BAUSA, Archiep. Florentin., *ad iuniorem clerum*, 1892.

(2) *Ad Nepotian.*

(3) Ex Aug. in *Math.* xix, 25.

(4) Sess. V, c. 2, *De reform.*

(5) Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *De reform.*

adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare ».

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti successentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia aduersus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponet vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 1 mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMX).

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliasque viros, qui, sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Leiningen, Comes; Gonzales Arnao doctor, ex Hispanica legatione apud Apostolicam Sedem ad Madritense exterarum rerum officium translatus; Sacerdotum collegium ad Italicos emigrantes adiuvandos; Concilium supremum Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae; Carolus Santucci, eques torquatus, eiusque familia; r. d. Aloisius Lavitrano, rector nuper renunciatus Collegii Apostolici Leoniani de Urbe; Szécsen de Temerin, Comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Oscar Gana Séruys a Chilensi apud Apostolicam Sedem legatione ad legationem Chilensem apud Germanos translatus; Hilarius Moreno, negotiorum gestor Argentinae reipublicae apud Apostolicam Sedem; De Pimodan, Comes; D' Erp dynasta et Chaves doctor, Belgarum alter, alter Brasiliensis civitatis administrum cum omni potestate apud Apostolicam Sedem.

### Pontificiae electiones.

R. d. Agathus Philippus Alvarado, vicarius capitularis dioecesis de Barquisimeto, episcopus ipsius cathedralis ecclesiae de Barquisimeto; r. d. Arturus Caelestinus Alvarez, parochus loci Zarasa in dioecesi de Calabozo, episcopus cathedralis ecclesiae Zuliensis; r. d. Iosephus Angelucci, canonicus cathedralis ecclesiae Praenestinae, episcopus cathedralis ecclesiae Civitatis Plebis; r. d. Franciscus Emanuelli, rector seminarii Calaritani, episcopus cathedralium ecclesiarum perpetuo unitarum Uxellensis et Terralbensis creantur.

— R. p. d. Nicolaus Cola, episcopus Marsorum, ad cathedralē ecclesiam Nucerinam, et r. p. d. Carolus Hugo Gauthier ab ecclesia Kingstonensi ad sedem metropolitanam Ottaviensem transferuntur.

— R. p. d. Angelus Hyacinthus Scapardini, mutato titulo Antiocheno iam eidem adsignato, archiepiscopus titularis ecclesiae Damascenae eligitur.

— R. p. d. Gregorius Maria Grasso, abbas *nullius* Montis Virginis, administrator apostolicus deputatur archidioecesis Amalphitanæ.

— R. p. d. Donatus Sbarretti, archiepiscopus tit. Ephesus, delegatus apostolicus apud civitatem Canadensem, a secretis dicitur Sacrae Congregationis Religiosorum.

#### Vita functi viri clariores.

Die xvi mens. Octobris, Romae, **Leopoldus Mayer de Schavansee**, Pontificiae Helveticae cohortis chiliarcus.

## ANNALES

### In Lusitaniam reipublicae forma invecta.

Tranquillitatem, qua huius anni autumnus accesserat, bellicorum tormentorum fragor ex improviso intercepit. Die enim IIII mensis Octobris, noctu, civilis perturbatio a viris Lusitanarum rerum evertendarum cupidi, parata iam diu, - id est a quo, infando crimen, Carolus rex eiusque filius natu maior nefarie interempti sunt, atque unione animorum a seditiosis refugentium incassum tentata, novus rex, iuvenis admodum atque gubernandi imperitus, inhabilibus infidisque administris sese commisit, - tandem aliquando erupit. Coniuratio calido sane consilio, atque occulte ita, apud milites et classiarios praesertim, structa, ut brevi oppositio quaevis inutilis foret, nullaque regali familiae, proditae et ab omnibus derelictae, salus, nisi in fuga remaneret, quae facta est per automobiles currus usque ad mare, atque inde, regia navi, ad Calpe usque, ubi Anglicus gubernator extores illos sub tutela imperii sui recepit, quoadusque Emmanueli regi, Ameliae matri et patruo ad castrum Woodnorton Aurelianensis familiae in Anglia accedere licuit; Mariae Piae autem, paternae aviae, e Sabaudica gente, in Italiam patriam redire, Italico rege eam hospitante.

Certamina Olissipone exorta, inde regni provincias minime pervasisse dicendum est, siquidem novo regimini facile omnes acquieverunt, cuius praeses ab administratorum collegio, — a principibus scilicet coniurationis Costa, Machado, Almeida, Leao etc., — ad tempus renunciatus est Theophilus Barga.

Communis vero libertatis studium, quod tam acerrime propugnabant isti regenatores, quibus facile accesserunt (incredibile dictu!) ipsi, qui civitatem postremis hisce temporibus administrarunt, id certe cupientes ut actis suis hac ratio-

ne oblivionem quaererent atque in posterum agenda in praeiudicium non verterent, — in hoc tantum fuit, ut tunicato popello et sentinae urbis contra sacri ordinis viros et catholicos diariorum scriptores saeviendi facultas quaevis daretur, utque ex ipso gubernio decreta prodirent, quibus non solum Societas Iesu et piae Congregationes in exilium mitterentur, sed bona eorum a fisco occuparentur; ut, uno verbo, odium in Christi religionem quolibet modo significaretur, legatusque Pontificis ut Romam secederet cogeretur. Interim Ioannes ille Franco eiusque collegae, qui tres ante annos Lusitanis malis firma manu mederi aggressi erant, proditionis accusantur, neque sine summa pecunia ad satisfactionem numerata, carcerem vitare possunt... Nonne sponte in mentem veniunt memorabilia verba Gallici illius martyris: « O libertas, quot crimina falsa sub specie tua admittuntur »?

### PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Gallia** ob operariorum ferreis viis addictorum ab opere desertionem firme a gubernio repressam, graves obortae disputationes in Briand praesertim, administratorum collegii praesidem, qui, « socialista » licet, ut apud omnes notum est, civitatis iura a gubernio tutanda acriter adseruit. Quamquam suffragia ei favorabilia cesserunt, is eiusque collegae a muneribus suis deinde abdicarunt.

In **Gracia** Venizelos gubernio praepositus, non tamen a populi legatis benigne exceptus. Itaque, a rege eidem fiducia renovata, is, iure suo usus, constituentem coetum dimisit.

In **Hispania** apud Senatum lex ne religiosi novi Ordines inducantur cognoscitur.

### PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMX, Mediolani, dum certamina aviationis habentur, aeronaves duae inter se collidunt. Dickson atque Thomas nautae graviter sauciantur.

— die II per Hispaniam omnem, contra rationem sibi a gubernio propositam in Sacri Ordinis viros et Christianam religionem saeviendi, publicae protestationes sollemniter peraguntur.

— die IV Olisippone rei publicae liberae forma promulgatur.

Belgarum rex et regina Vindobonam tenent, Franciscum Iosephum Imperatorem visitaturi.

— d. VIII per fines Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis et Canadensis regionis incendia silvas et oppida excidunt.

— d. x in Gallia opifex ferriis viis addicti ex condicto ab opere recedunt, frustra operarios alios omnes invitantes ut suum exemplum sequantur.

— d. xi Berolini centesimus annus, ex quo illius civitatis athenaeum conditum est, sollemniter commemoratur.

— d. xiii Saenz Pena, Bonearensi in urbe, Argentinae rei publicae supremum magistratum init.

— d. xiv Rodulfus Lindau, Theutonicus scriptor praeclarus, Berolini moritur.

— d. xv Wellman aeronauta in dirigibili navi sua *America* Neo-Eboraco proficiscitur, Oceani Atlantici traiectum tentaturus. In alto vero nebulis post dies duos circumfusus, quominus ultra procedat impeditur, atque a pyroscapha *Trent*, ventis aeronavi commissa, sospes recipitur.

— d. xvi aeronavis Clementis Bayard cum viatoribus septem a Gallico oppido Guise-la-Motte profecta, feliciter Londinum appellit.

— d. xviii operariorum ab opere desertioni in Gallia ob fortitudinem a gubernio oppositam finis fit.

— d. xix Genevensi in carcere sibi mortem consciscit Aloisius Lucheni, qui Austrorum imperatricem Elisabeth nefarie aliquot ante annos interemerat.

— d. xxii Franciscus de Teck, princeps, Anglicae regiae frater, Londini vita fungitur.

— d. xxiii, Bangkok in urbe, Siamensis rex Chulalong-Korn pariter supremum obit diem, eiusque filius Maha Vajiravudh quiete regnum obtinet.

— d. xxiv atra procella in Amalphitanum litus furit, Cetara oppidum solo aequat, Aenariaeque insulae immensa tum hominum tum domorum damna affert.

— d. xxvii Romae in aerodromo, Iosephus Sangiotti, tribunus militum, in terram praecipitat miserisque mortem sub aerooplano suo appetit.

— d. xxxi, in Gallia Cispadana, Ausa et Parma flumina pluviosis tumescientia e limitibus excedunt, sataque per eorum cursum late vastant.

## LIBRORUM RECENSIO

*Vite scelte di Cornelio Nepote con note ad uso delle Scuole ed illustrazioni storiche premesse alle singole «Vite» di LUIGI FRANCESCO GUERRA, professore ordinario del R. Ginnasio e Liceo «G. B. Vico» di Napoli. — Napoli edid. G. Casella, 1911. (Ven. lib. 1,50).*

Novissimam hanc Cornelii editionem vix vulgatam, a pluribus secundi ordinis scholis acceptam cognovimus; quod mirum procul dubio nobis non visum est, quum clarissimi Neapolitani doctoris opus vel summis labiis delibavimus. Non enim, ut assolet, male digestarum rerum hic congeries, non immodicæ eruditio labor, nec denique foeneraticius aliquis scopus palam

vel occulte comparatus; sed liber a magistro compitus scholæ late assueto, scholæ atque latinarum litterarum amantissimo et in discipulorum progressum unice intento, quem assequi per Horatianum illud nititur: *Omne iulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Utile profecto est puero ad latinam linguam vel accedenti opportunam rationem praebere, qua difficultates unde terreatur omnemque fidem et animum facile amittat sensim et sine sensu superare queat, quum tamen ad cogitandum quasi inscius invitetur; utile, nec, quod sciam, ab alio prius invectum, post vitam cuiusque *Imperatoris* expletam, indicem invenire, quo tum ipsas difficultates — praecipuas saltem — ipse sibi repeatat, tum vocabulorum et phrasium quasi acervos colligat, unde practice syntaxis regulas maxime obvias ediscat ac retineat; utile singulorum capitum argumenta vernacula lingua praenoscere, paginasque figuris et hominum et rerum illustratas videre. Utilia haec, inquam, ac simul dulcia. Non tamen id satis; accedit enim singulis «Vitis» — per se, uti constat, cum ariditate quadam a latino illo auctore exhibitis, — temporum et eventuum satis ampla et iucunda expositio, quae dum excellens viri imaginem magis magisque collustrat, tantam ingerunt legentis tenero animo delectationem, ut dubium non sit quin eum curiositate et exspectatione summa ad textum latinum adventet. Quibus positis, clare patet operis lata probatio, patet causa, qua idem maxime docentibus commendemus.

I. F.

CARD. ALFONSO CAPECELATRO. *Gesù Cristo - La Chiesa.*

— Romae edid. Desclée, et Soc., 1910. (Ven. lib. 0,60).

Tractatio sobria atque illius pietatis plena, qua venerandus Pater hic Purpuratus non facile superabilis evadit, intimum utriusque argumenti nexum demonstrat. Ostendit enim in Christo et promissum Redemptorem, et creationis centrum, et Verbum; idque in eius vita, praeceps, exemplis. Ex «Sponso» autem ad «Sponsam» procedens, huius aeternam pulchritudinem persequitur, qua magnae familie similis fit. Huius quidem familie ordo deinceps enucleatur, Patrisque, id est Summi Pontificis, potestas describitur. Inde evincitur, maximae utilitati opusculum iis praesertim futurum, qui strictis licet at certis finibus divinam Christi Ecclesiaeque figuram sibi perspectam habere cupiant.

MONS. GEREMIA BONOMELLI. *L'emigrazione.* Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Emigratio inter civiles eventus peculiari studio dignos apud omnes gentes non immerito nunc habetur; oratio autem Cremonensis episcopi opportuna eo magis occurrit, quod in illo viro beneficentissimi collegii ad opifices ab Italia ad exteris gentes transmigrantes auxiliandos conditorem omnes norunt, atque igitur argumenti huius peritissimum. In quo quidem evolvendo causas multiplices tum ad tempus tum perpetuae emigrationis exponit, tristem in pluribus casibus eius necessitatem demonstrat, oportunas denique regulas suggerit ut dirigatur, utque et populo et ipsis emigrantibus utilis fiat. Quod ad obtainendum non gubernantium

modo, sed et popularium rectorum et privatorum ipsorum aliqua pollutum auctoritate concursus requiritur, in primisque sacerdotum, quibus orationis postremae paginae diriguntur, flagransque amore adhortatio fit, ut operam omnem ad «socialem» eamque religiosam nostrae aetatis instaurationem conferant.

Z.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

*Cornelio Nepote, Vite commentate da LUIGI FRANCESCO GUERRA.* — Neapoli edid. Casella, 1911. (Ven. lib. 1,50).

*DOMINICUS PIANAROLI MORONI. Arborum festum. Elogia.* — Indidem, 1910. (Ven. lib. 1).

*Id. La cassetta di Nazaret. Canzone.* — Indidem, 1910. (Ven. lib. 1).

*Card. ALFONSO CAPECELATRO. Gesù Cristo - La Chiesa.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 0,60).

*Id. Sursum Corla. Aspirazioni a Dio.* — Indidem. (Ven. lib. 1).

*Mons. GEREMIA BONOMELLI. L'emigrazione.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

*Id. Cause della miscredenza moderna e rimedi. — La libertà di pensiero.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

*Monita ad sacerdotes ex Sacris Conciliis et Ecclesiae Patribus.* Editio septima auctior. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

## IOCII.

### In medicum imperitum.

Mittebat medicus natum mihi forte docendum,  
Formandum et primis grammaticae studiis.  
Qui mox ut didicit magni tria carmina Homeri,  
A quibus exorsus est opus ille suum:  
«Musa, iram canito Pelidae docta superbi,  
Argivum castris quae mala multa dedit,  
Egregiasque animas heroum ad tartara misit»,  
Ecce suum gnatum detinet ille domi.  
Dein me conspecto: — «Grates ago — dixit — amice;  
Commodius natum hoc ipse docere quo;

Namque ego non paucas animas ad tartara misi;  
Hic mihi Grammatici nil opus est opera.

(AGATHIAS).

\*\*

Lucilius italicae poëseos studio flagrantissimus, mensem Maium in villula exigens, suavitate ipsa veris sua-

dente, carmina ut cum maxime pangebat. Quodam die se cum amicis oblectans in hortis, epigramma recitat recens conditum, quod “Gaudia Ruris”, erat inscriptum. Aderat ibi rusticus, qui flores irrigabat, quum interim aures suas poëtae dedebat. Subito veluti furore ille abreptus: — « O praeclarum cantiunculam, — clamavit —, quae redoleat eas, quibus tempore metendorum percipiendorumque fructuum, labores levant agricolae! » Coorta hinc hilaritate, Lucilius versus suos, ab agricolis numeros mutuatus, canere coepit.

TITUS CURZIUS.



## AENIGMATA

### I.

Me pertinet cuncti, latens fero lethum,  
Si me cavere vis, cavebis incassum;  
Sed si petam te, sospitaberis certe  
Meum per hostem, si citatior currat.

### II.

Cogere prima solet;  
Altera nare iubet;  
Utraque mixta bibis.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:**

MARCI MINUCII FELICIS  
OCTAVIUS  
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

Aenigmata an. XIII, n. VII proposita his respondent:

1) **Penula; 2) Pindus-Pinus.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — I. M. Meunier, Corbiniano. — Alb. Kain, Dublino. — Ioan. Biava, Bergomo. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — A. Papay, Barosszáha. — R. Richi, Traianopolis. — Adam. Kołkowski, Petricovia. — I. Ortiz, Morelia. — Alb. Catteau, Lugduno. — F. Arnori, Mediolano. — Hern. Forgeot, Nicaea ad Varum. — Max. Vronski, Cracovia. — Eug. Dolmar, Neo Eboraco. — Alois. Cappelli, Senis. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Iac. Menendez, Madrito. — Fr. Guerra, Aletio. — F. X. N., Drepago. — Clem. Fiard, Curia Rhastorum. — F. Starace, Neapolis. — Eug. Ricci, Florentia. — I. Ciolfi, Papia. — I. Martins, Philadelphia. — F. Correa, Emerita. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — A. Bounin, Aureliano.

Sortitus est praemium:

ALBERTUS KAIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI

DE POETIS EPICIS ROMANORUM ACROASIS.

Aenigmata autem n. VIII proposita his respondent:

1) **Fa-mulus; 2) Canis.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Alb. Kain, Dublino. — Ioan. Biava, Bergomo. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — R. Richi, Traianopolis. — F. Ortiz, Morelia. — Alb. Catteau, Lugduno. — F. Arnori, Mediolano. — Hern. Forgeot, Nicaea ad Varum. — Max. Vronski, Cracovia. — Eug. Dolmar, Neo Eboraco. — Alois. Cappelli, Senis. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Iac. Menendez, Madrito. — Fr. Guerra, Aletio. — F. X. N., Drepago. — Clem. Fiard, Curia Rhastorum. — F. Starace, Neapolis. — Eug. Ricci, Florentia. — I. Ciolfi, Papia. — I. Martins, Philadelphia. — F. Correa, Emerita. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — A. Bounin, Aureliano.

Sortitus est praemium:

EUGENIUS RICCI,

ad quem missum est I. B. FRANCESIA opus, cui titulus:

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanæ Editricis.

# ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. IX).

(8)

Non alias saepe per novilunia pastorum aut agricolarum vigilias Trasimeni lacus in oris aut Cannensis paludis in litore terrent funebres turbae, quas Hannibalis victoria paravit.

Nec absonum ferme a punica clade Varianos milites manebat fatum.

Iamque, dimensi cursu viam, haud multum ab oppositis faucibus aberant, quum ecce rursus elatus est tonitrus ingens, quasi montium iuga, Iovis sceptro concussa, late infremerent. Simul vero saxa, lapides, glebae, arbores ad imum, in properantem exercitum, horrenda grandine cadere coeperunt. Atrox per noctem exterminium; equites, pedites, belluaeque conculcati, obtriti manipulatim. Contubernales, qui cum facibus accurrit ut sospitent vulneratos, mox superincidens mola conterit. Hostium vero latibula videre tenebrae non sinebant. Legionarii Samnites, Brutii, Campani, Latini, Romani, equites ipsique triarri emeritis stipendiis, eorumque non pauci tum pharsalicis tum actiacis pugnis superstites, vulpecularum more mactabantur. Spatium autem repugnandi nullum supererat nullaque spes salutis, nisi in fuga.

Iamque primi ordines, ipseque legatus itineris fauces attingunt, quum ecce turma novum attollit clamorem. Pons tabulatus, quem paulo ante transierant, fractus in natabat undis, atque oceanum versus fragmenta agebantur. Desuper ex utraque ripa instabant barbari; ignis autem post terga, fluctus in fronte concludebant viam. Aquilarum legionumque conclamata salus.

Tunc desperatio mirum furorem animis addidit; proelium initum, quod vix gigantes committerent. Fractis ordinibus velites, triarri, hastati, principes certatim dextra levaque scandere iuga aggrediuntur. Candentis nemoris rubores, ipso aquarum speculo remissi, viam pugnantibus collustrant; quibus, quoniam moriendum erat, gloriosa quaerenda mors, Romano nomine digna. Saga igitur, scutaque post terga iacint, pila iacula dentibus gestant, scopolis, rimis, arboribus sese fulciunt, manibusque pedibusque ascendunt, corruunt, redeunt ad nisum, ut unum saltem hostem attingant, ut detur cominus ferro digladiari et non inultam oppetere mortem. Immanis lucta, cruenta, vanaque audacia!

Multitudo hostium summis in iugis abdita, ipsa ausus temeritate primum exterrita, a iaculis continuit manus; mox, resumpto animo, coronantur multitudine silvae, pluviaque illa missilium omne genus novo furore multiplicatur.

Interea, medio itinere progreditur Caecilius cum equitatu ad ripam fluminis. Oppiso in litore pontis reliquiae flammis supremis conficiebantur: iamque ex ultimis Bructeriorum montium iugis aurora illucescit. Cuius illustrata luce, apparuerunt barbarorum agmina in opposita ripa clamantium: Bructerii, Cherusci, Chasuarii, Tubantes suas copias omnes ad exitium Romani nominis extremum miserant.

Tum Caecilius ad equites conversus:

— Vos, — inquit —, patriciae gentis iuvenes, dum miles in monte pugnat moriturus, ad ultionem saltem supremam contra hostes properate mecum, sitque non sine gloria Romanorum mors!

Conticuit, atque ipse primus equum in undas compulit; alaeque omnes, ducem per fluctus sequutae sunt. Pedites, qui per montium abrupta oppugnabant hostes, inutilem ausum contemplati, gladiatorum vocem supremam extulerunt undique:

— Ave, Caecili, morituri te salutant!

At iam progredientem medium per flumen equitatum a fronte primum sagittae telaque petunt: confossi equi ruunt una cum equite in fluctus; ceteri tendere pergunt in hostes. At ecce aliae extolluntur per flumen voces: ex utraque ripa, abditae hactenus cymbae, scaphae, trunci, lintres, remis aut natatu acta, exeunt in medias aquas hostibus onusta, atque vadantes Romanos utrinque petunt. Equites rati moriendum maturius, hastas et equos in obvenientes hinc inde convertunt, adoruntur, tela immittunt; mox rates ipsas laeva apprehendere, atque districto ense medios in hostes prosilire, pugna cladesque ferocissima fieri. Germanorum Romanorumque cadavera complevit Luppiae undas, quae tanto sanguine purpuratae, Rhenum versus defluunt. Ubi vero magis ardet clades, insignior scapha vehementiusque impulsa, inter clamorem barbarorum maximum, descendit fluctus. Dant utrinque Germani locum: horrendum visu! Seapham complebant Barbari, Romanis galeis omnes cristati, loricis induiti; miroque trophyo insignia manipulorum cohortiumque attollebant: aquilas, vexilla legionum ipsa, fero clamore elata, vibrabant. Tunc undique per flumen, per silvas, per montes crevit victorum vox: « Macte! macte! aquilae hae vestrae sunt; vestra spolia! Varianos hac ipsa nocte delevimus! » Profecto: appropinquante navicula innotuerunt hastis infixa horrenda signa victoriae; legatorum Varii lividae et madentes sanguine cervices, ipsiusque imperatoris pallidus vultus, aquilae aureae appensus, agitabatur.

(Ad proximum numerum).

I. A. COSTAGGINI.

## Sociis atque Lectoribus monitum

Ad proximum numerum, id est mensis Decembris, Appendix cui titulus « Arrae Gorgonae » erit absolutus. Eum novus sequetur, et statim inchoabit:

## EUPHIUS,

actio dramatica in tres actus distributa et versibus senaris exarata, quam « Voci Urbis » ultro atque unice concessit eius auctor

JOANNES BAPTISTA FRANCESIA